

P R A E F A T I O

ἔ σαρκώδη, *les jambes secies*, laudatque Iamblichum de Vita Pythag. p. 162, vbi ξικνὲ, h. e. *macilenta*, opponuntur τοῖς πολυσάρκοις. §. 3 pro πυκνὰ διακινέων legendum censet πυκνὰ διακινῶσι. Cap. V, 23 pro παράσηρον, quam vocem nihili esse dicit, iubet legi παράσημον, *mal marquée*. Cap. VI, 23 verbum posterius ὑπερπηδῶσαι post κεφαλὰς plane delendum suadet, cum absit a Vergettii codice. Cap. X, 11. pro ἀπτέσθω mauult ἐπέσθω. §. 16 emendat ἐντὸς τῆς ὠμοπλάτης, ἢ τῆς σφαγῆς.

Zeunio nunc ego in eadem prouincia mihi a librario demandata successi. Ante omnia vero feci, vt quicquid boni postrema horum librorum editio Oxonii anno 1785 facta haberet, in hanc nouam recensioem transferretur. Exorsus fuit illam *Edwardus Edwards* eo quidem consilio, vt verba graeca quam emendatissima poneret, eaque addita noua et perspicua interpretatione, deinde etiam annotationibus illustraret. Adiecit etiam nouum singulorum capitum indicem, quo nouam plane et singularem opinionem lectoribus voluit approbare, nempe Xenophontem in his libris philosophiae moralis ambitum disciplinamque complexum fuisse, prooemio sumto a Socratis defensione. Hanc suam opinionem copiosius iam antea explicauerat in libro edito anno 1773 et sermone vernaculo scripto: *The Socratic System of Morals, as delivered in Xenophon's Memorabilia*. Primum igitur librum censet tradere officia hominis erga deum et se ipsum; alterum de officio hominis in vita domestica, i. e. iurium domesticorum participis; tertium de officio hominis in vita ciuili, i. e. iurium ciuilium participis; librum quartum Ethicae Socraticae Synopsin palmariam continere. Hos titulos librorum ipsis auctoris verbis seruatis posui; singulorum vero capitum argumenta addere nolui, ne lectoribus taedium crearem. Nemo enim, quam inepta et a Xenophontis consilio aliena sit illa viri